nium, inquit, *celebrato divortio, redeat potentia se cognoscendi, licet de hoc sint variæ opiniones, tenendum tamen quod sentire videtur* S. Th. in 4. dist. 34. q. 1. art. 3. *scilicet, quod si maleficium fuit universale respectu cujuslibet personæ, tunc si alteri nupserit, ostenditur impedimentum non fuisse perpetuum; unde debet redire ad primum. Si autem maleficium fuit particulare, scilicet respectu specialis personæ, tunc cum utrique detur licentia contrahendi cum aliis, non potest, ad pristinum Matrimonium redire; cum primum Matrimonium nullum fuerit, & secundum verum*. Quod confirmat Canon *Si per Sortiarias*, his verbis: *Sed, postquam alias Nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concubendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt*.

REGULA XIX.

Matrimonia impuberum, pueri scilicet ante decimumquartum, puellæ ante duodecimum annum completum, irrita sunt, nisi in illis malitia forte suppleat ætatem.

De Matrimoniis impuberum.

Hæc Regula nititur cap. *De illis*, 2. Ext. *De Desponsatione Impuberum*, quod *Alex. III.* & c. *Tuæ*, quod *Inn. III.* Responsum est, sub eodem Titulo. Ratum est tamen Matrimonium post annos pubertatis contractum, tametsi ob ætatis imbecillitatem conjuges operi conjugali adhuc inepti sint. Quod si contracto Matrimonio in ea ætatis, quamvis legitimæ, imbecillitate, dubitatur, an inde, an aliunde proveniat impotentia, illud experientiæ destinatum triennium non erit computandum nisi a tempore, quo perfectam ad pubertatem pervenerit: quod contingit in fœmina anno decimo quarto completo, & in viro anno decimo octavo secundum Leges.

ARTICULUS XII.

De Raptu.

De impedimento raptus.

De Raptus crimine, illiusque gravitate, ac pœnis alias agemus, ubi de luxuriæ speciebus tractabimus: nunc de eodem paucis agendum, quatenus Matrimonium impedimentum dirimens est.

Quid, & quotuplex.

Raptus hac ratione spectatus, est *Abductio puellæ invitæ, aut seductæ, Matrimonii contrahendi caussa.*

Duas species Raptus agnoscunt Jus Canonicum, & Civile: Raptum scilicet in fœminam, quæ invita, vel seducta abducitur; & Raptum in parentes puellæ, quibus invitis abducitur, quamvis puella ipsa consentiat Can. *De Raptoribus*, caussa 36. q. 1. qui est Aurelianensis Concilii 1. can. 2. *De Raptoribus autem*, inquit, *id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam Raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate Raptoris, & Raptor mortis, vel pœnarum impunitate concessa, aut ad serviendum subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero, quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella Raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & Raptor pari superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius*. Ubi *Gratianus* notat aliquando vim inferri parentibus, & non puellæ, aliquando utrisque: Idem docet *S. Th.* 2. 2. q. 154. art. 6. *Violentia*, inquit, *quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri: quandoque autem infertur patri, sed non virgini: puta, cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur..... Qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio Raptus.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Raptus est impedimentum dirimens Matrimonium contractum, dum puella in potestate Raptoris est.

De impedimento raptus.

ITA pridem statuerunt Conc. Romanum sub *Gregorio II.* & Conc. Meldense anno octingentesimo quadragesimo quinto celebratum. can. 66. *Quicumque*, inquit, *deinceps rapere Virgines, vel Viduas præsumpserint, secundum Synodalem B. Gregorii Deffinitionem, ipsi, & complices eorum anathematizentur, & Raptores sine spe conjugii perpetuo maneant.*

Synodus Regiaticina sive Ticinensis, anno 850. can. 10. decernit, ut *Puellæ ipsis, a quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possint.*

Raptus seductionis.

Et Lib. 7. Capitularium, cap 395. *Sancitum est, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habent uxores*. Reus Raptus censetur, cum fœmina, aut violenter, aut precibus importunis, lenociniis, promissionibus, dolosis persuasionibus, fraudibus, & malis artibus seducta, abducitur ex ædibus parentum, aut tutorum, vel ex Monasterio, in quo educatur.

Denique Sacra Synodus Tridentina Sess. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 6. decernit, *Inter Raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat. Et nihilominus rapter ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem prabentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

REGULA II.

Inter Mulierem raptam, & Raptorem, si sint alias personæ ad contrahendum legitimæ, & puella in loco tuto, & libero constituta sit, & parentibus restituta, si nondum sit sui Juris, Matrimonium contrahi potest, si ipsa consenserit, Conciliique Tridentini forma servetur.

De impedimento raptus.

Quod si Rapta (inquit) *a Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat*. Quod Sacræ Synodi Decretum consonum est *Inn. III.* Responso, cap. *Accedens*, Ext. *De Raptoribus*, cujus hæc sunt verba: *Rapta puella legitime contrahet cum Raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum: & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ.*

ARTICULUS XIII.

De Dispensatione circa Impedimenta Matrimonii.

DIspensatio generatim accepta, est *Relaxatio juris, cum cognitione caussæ facta ab eo, penes quem est legitima relaxandi facultas*. Unde circa impedimenta Matrimonii Jure dumtaxat Ecclesiastico constituta, Summum Pontificem dispensare posse, certum est, eumque solum *regulariter*, (ut loquuntur;) cum hujusmodi impedimenta sint, vel a Conciliis Generalibus, vel a Summis Pontificibus instituta, in quorum Decreta potestatem non habent Episcopi, cum eorum Auctoritas, & jurisdictio Conciliorum Generalium, & Romani Pontificis Auctoritate, & jurisdictione sit inferior, illisque subdita.

Certum insuper est, circa Matrimonii impedimenta Naturæ jure introducta, neminem hominem, ne Summum quidem Pontificem dispensare posse, v. gr. ut inter fratres, & sorores Matrimonium contrahatur. Hanc enim Ecclesiæ suæ potestatem Christus Dominus non reliquit.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Dispensationes absque legitima caussa postulari, vel concedi non debent: alioqui graviter peccant & qui postulat, & qui concedit.

De dispensationibus.

UT enim ait *S. Bernardus* Lib. 3. *De Consideratione ad Eugenium*, cap. 10. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Eamdem Regulam tradit Sacra Synodus Tridentina, Sess. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 5. *In contrahendis*; inquit, *Matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex caussa, & gratis concedatur.*

Et Sess. 25. *De Reformatione*, cap. 18. *Sicut publice expedit Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius Legem solvere, exemploque potius quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad eos fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id caussa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Quæ dispensationum caussæ legitimæ.

Stylo quidem Romanæ Curiæ Dispensationes *Sine caussa* concedi a Summo Pontifice dicuntur: sed revera nullam concedit Christi Vicarius sine caussa legitima, quamvis interdum non exprimatur. Se enim dispensatorem super universam Domini familiam jure Divino constitutum novit: omnino autem requiri, ut Fidelis sit dispensator; Fidelem porro non censeri, qui bona domini sine caussa, idest, sine necessitate, vel utilitate dispensaret, immo potius dissiparet, ac prodigeret.

Caussæ autem legitimæ Dispensationum, quæ a Summo Pontifice postulantur ad contrahendum Matrimonium gradibus prohibitis, sunt. 1. Incompetentia dotis. 2. Extinctio magnæ litis. 3. Angustia loci, sive quia major pars incolarum consanguinitate, vel affinitate juncta est supplicanti, & alios non inveniret facile paris secum conditionis, vel quia si vellet extra locum illum nubere puella, non haberet dotem sufficientem. 4. Sedatio discordiarum, sive præsentium, sive quæ futuræ prævidentur inter consanguineos, vel affines. 5. Quando vir dives vult ducere cognatam, vel affinem, constituendo illi dotem, vel au-

gen-

Navarrus, Conc. 13. De Consang. & Affinitate. Zerola in Praxi Episc. verb. Dispensatio. Pyrrhus Corradus Praxis Dispensat. Apostol. Lib. 7. c. 2. & 3.

gendo usque ad quantitatem dotis competentis. 6. Conservatio divitiarum in eadem cognatione amplissimarum. 7. Illustris familiæ conservatio in eodem sanguine. 8. Matrimonium bona fide, & ex Juris ignorantia contractum. 9. Copula cum consanguinea, vel affine vesana libidine inita, & non ut facilius obtineretur Dispensatio. 10. Matrimonii male contracti diuturnitas. 11. Scandalum grave, aut peccatum præcavendum. 12. Mortis, aut periculi ejus evitatio. 13. Indotatæ puellæ miseria, quæ vel ex pudicitiæ periculo, vel ex rei familiaris inopia spectatur; vel quia vigesimum quartum annum excedens, hactenus viros paris conditionis, quibus nubere posset, non invenit, vel propter infamiam sine copula; vel quia mulier defectu viri litibus super successione bonorum magni momenti excitatis caderet; vel quia oratrix filiis gravata, ope, ac solatio viri indiget. 14. Excellentia meritorum. 15. Copiosior pecuniarum compositio, quæ Romæ in pia opera impenditur Summi Pontificis Mandato, præsertimque ad dotem pauperibus puellis constituendam. Quo nomine petita Dispensatio, stylo Curiæ vulgo dicitur, *Sine caussa*; sive etiam *Dispensatio ex certis, & rationabilibus caussis.*

De dispensationibus.

In dispensationibus Matrimonialibus dotis non competentis caussa concessis, si modo eo loci, ubi mulier, de cujus Matrimonio agitur, habitat, virum pari, æqualique conditione non inveniri vere constet, qui sibi cognationis, affinitatisve vinculo conjunctus non sit; progrediatur Episcopus ad exequendam ejus generis Dispensationem, etiamsi in locis finitimis aliqui essent, qui nullo gradu cognationis, affinitatisve juncti, eam cum exigua dote in Matrimonium ducerent. Satis enim est, in eo municipio, locove, ubi mulier est, diligentiam Matrimonii contrahendi adhibitam esse. Hanc Regulam tradit Synodus Provincialis Mediolanensis quinta sub *S. Carolo Borromæo*.

REGULA II.

Optat Ecclesia, ut numquam dispensetur in secundo gradu; nisi inter Magnos Principes, & ob publicam caussam.

Verba sunt Trid. Conc. Sess. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 5. *In secundo gradu numquam dispensetur nisi inter magnos Principes, & ob publicam caussam*. Verum cum eadem S. Synodus Sess. 24 *De Reformatione* cap. 21. *Omnia, & singula, sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de Morum reformatione, atque Ecclesiastica Disciplina sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Pontificibus Maximis in eastatuta sunt*, declaret, *ita decreta fuisse, ut in his salva semper Auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*; & Summi Pontifices in secundo etiam gradu dispensent frequenter inter personas Principibus inferiores, immo inter plebejos, & privatas ob caussas, Dispensationes illas validas esse censendum est, modo suppressione veri, aut expositione falsi obreptum Christi Vicario non fuerit: & Matrimonia cum illis Dispensationibus contracta esse rata.

REGULA III.

In gradibus prohibitis affinitatis facilius dispensatur, quam in gradibus consanguinitatis.

Rationem affert *S. Th.* in 4. Sent. dist. 41. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. *Quia affinitas est minus vinculum, quam consanguinitas*. Quamobrem & in primo gradu lineæ collateralis Summus Pontifex dispensare potest, ut scilicet frater uxorem fratris sui defuncti ducat, aut soror Marito sororis suæ defunctæ nubat: quamvis raro, & nonnisi inter magnos Principes, & propter publicas, & gravissimas caussas id fieri expediat. Sic cum *Henrico VIII.* Angliæ Rege *Julius II.* dispensavit, ut *Catharinam Arturi* fratris sui Viduam uxorem duceret. Sic nostra ætate *Innoc. X.* dispensavit cum *Casimiro* Poloniæ Rege, ut uxorem defuncti fratris acciperet in suam, cum in Regnum Procerum suffragiis suffectus est.

REGULA IV.

Qui Matrimonium intra gradus prohibitos sciens contraxerit, vel Sollemnitates requisitas neglexerit, Dispensatione indignus est: & Dispensatio absque circumstantiarum illarum expositione impetrata, nullius est roboris, atque irritum, & nullum Matrimonium, quod ex vi illius contrahitur. idem est judicium de iis, qui copulam carnalem consummaverint spe Dispensationis facilius obtinendæ.

Quæ dispensationes nullius sint roboris.

Hanc Regulam tradit S. Synodus Tridentina Sess. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 5. *Si quis*, inquit, *intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe Dispensationis consequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem sollemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit; eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salutaria Præcepta temere contempsit. Si vero sollemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur; cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit*. Idem esto Judicium de illis omnibus, qui quocumque alio impedimento dirimente devincti, Matrimonium scientes contraxerint, vel consummaverint bona fide contractum, cum impedimentum perspectum, & exploratum haberent ante consummationem. Qui enim scientes volentes Matrimonium irritum ita contraxerint, aut consummaverint spe Dispensationis facilius obtinendæ, nec istas circumstantias contracti Matrimonii, aut consummatæ copulæ ob hunc Dispensationis facilius obtinendæ finem Summo Pontifici exposuerint, eorum subreptitia Dispensatio est, irritumque, ac nullum, quod ex vi illius contrahitur, Matrimonium.

REGULA V.

Dispensatio super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, nulla facta mentione copulæ prius ab impetrantibus consummatæ, quamvis non eo animo, ut Dispensationem facilius obtinerent, nulla est, irritumque, quod ex vi illius contrahitur, Matrimonium.

De dispensationibus irritis.

Ita respondit Sacra Congregatio Conc. Trid. Interpres, ut refert *Zerola* in *Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*, Unde *Navarrus*, qui copulæ carnalis Matrimonium præcedentis mentionem non esse necessario faciendam ab iis, qui Dispensationem postulant, olim senserat Consilio 8. & 9. *De Consanguinitate, & Affinitate*, sententiam mutavit in quarta Manualis sui Editione, cap. 22. numer. 86. Et in fine Consilii 9. hæc nota addita est in Romana Editione anni 1592. *Adverte, quia refertur Congregationem censuisse consanguineos, vel affines, qui tacita copula obtinuerunt Dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, esse subreptitios, & Matrimonium postea contractum esse nullum. Et ita observat Praxis.*

REGULA VI.

Si consanguinea, vel affines in gradibus prohibitis, missa Romam Supplicatione, & impetrato dispensandi Mandato, copulam carnalem interim consummaverint; Ant quam Officiali Inquisitione facta, & caussa cognita Mandatum Pontificium cum illis dispensandi executioni mandaverit, rata est nihilominus Dispensatio, neque Romam iterum mittendum est, sed petenda Dispensatio, sive Absolutio ab Episcopo de illo incestu.

In Dispensationis enim Pontificiæ impetratione nulla subreptio intervenit: siquidem nondum incestum commiserant, ut illum in Supplicatione exponere necesse esset. Deinde licet incestus impediat Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum: At in nostra hypotesi impedimentum dirimens consanguinitatis, vel affinitatis Pontificia Dispensatione sublatum est: solum itaque remanet impedimentum incestus, prohibens non vero dirimens Matrimonium. Ac proinde sufficit, ut Dispensationem, seu Absolutionem petant ab Episcopo, ut eo impedimento soluti Matrimonium secundum tenorem Pontificiæ Dispensationis contrahere, & consummare possint; vel, si jam contractum, & consummatum est, debitum sibi mutuo reddere valeant. Denique *Thomas* Corrector Pœnitentiariæ, & postea Episcopus Ilerdensis, quosdam qui Mandatum ad dispensandum impetraverant, interimque ante Dispensationem commiserant incestum, non fuisse obligatos ad illum confitendum Episcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali in foro externo interroganti, quia occultus erat, & secretus, & ejus manifestatio non erat ad substantiam Dispensationis necessaria, sensit, ac respondit, ut refert *Navarrus* Consilio 10. *De Consanguinitate, & Affinitate*. Qui tamen monet, Sacram Congregationem in eam Sententiam propendisse, quod in hac hypothesi partes ad Sedem Apostolicam pro certis litteris obtinendis remittendæ sint a Judicibus, antequam in vim privatarum litterarum dispensent. Eamdem Regulam confirmat *Zerola* in *Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*, hac ratione fretus, quod tempore datæ Gratiæ in Curia, quamvis nondum confectis litteris valere incipiat Dispensatio in foro interiori, & quod Episcopus, vel ejus Vicarius, aut Officialis sint potius executores Pontificii Mandati, quam dispensatores. Quamobrem & filios ex incesta copula genitos in illa specie, legitimos esse censent Auctores laudati, modo tamen bona fide partes convenerint, non spe Dispensationis facilius obtinendæ.

REGULA VII.

Si qui cum impedimento dirimente Matrimonium contraxerunt, & Supplicatione Romam præmissa, interim carnaliter commiscentur, etiam si nondum Romæ sit admissa Supplicatio, concessaque Gratia, valida est Dispensatio.

Non enim censeri potest subreptitia, quando preces veritate nituntur: atqui in illa hypotesi preces veritate ni-

tun-

runtur: siquidem tempore supplicationis nondum intervenerat copula carnalis inter Supplicantes.

Verumtamen cum impetratis Litteris Dispensationis *in forma pauperum*, quibus Commissario Executori mandatur, ut Oratores *in primis ab invicem separet*, si durante indicta separatione, in illius contemptum sese denuo carnaliter cognoverint, nova Dispensatione opus habent, novæque Litteræ illis a Summo Pontifice obtinendæ sunt, in forma *Perinde valere*, ut declaravit *Paulus V.* Refert *Pyrrhus Corradus* Lib. 8. cap. 5.

REGULA VIII.

Dispensatio subreptitia, ad quam scilicet obtinendam Supplicantes falsum expresserunt, aut aliquid, quod in Supplicatione exprimendum erat, etiam ex ignorantia tacuerunt, penitus invalida est; ac omnino irritum, quod ex vi illius contrahitur, Matrimonium.

De dispensationibus subreptitiis.

Hæc Regula nititur cap. *Super litteris*, Ext. *De Rescriptis*, quod est *Innoc. III.* Responsum: *Super Litteris* (inquit) *quæ ab aliquibus ex malitia, & a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate, vel suggesta falsitate impetrantur a Nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos debere prorsus carere omni commodo Litterarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis; aliis vero dicentibus, quod etsi forma carere debeant in Litteris nostris expressa, nihilominus juxta rigorem Juris sit a Delegato Judice in negotio procedendum . . . . Si per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, quæ tacita, vel expressa, nos nullas prorsus Litteras dedissemus, a Delegato non est aliquatenus procedendum.* Ubi Glossa hæc habet: *Ex eo patet, quod ignorantia, vel simplicitas non prodest circa hujusmodi Litteras impetrandas; immo ad hoc, ut Rescriptum teneat, nihil debet supprimi ex iis, quæ movere possunt animum Principis ad dandum rescriptum, vel ad denegandum.*

Idem confirmatur ex cap. *Si motu*, Tit. *De Præbendis*, in Sexto. *Si* (inquit) *ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam hujusmodi faciamus, quantumcumque modicum Beneficium taceatur in ea, ipsam voluti subreptitiam vires nolumus obtinere.*

Hinc Dispensationes inspici, & examinari statuit Concilium Coloniense anno 1586. *Quam impudenter* (inquit) *plerique Diplomatis, ac Dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis, præter Summi Pontificis mentem (qui vult, & debet potestate sibi concessa non ad destructionem, sed ad ædificationem uti) abutantur, nullus est, qui ignoret. Non prohibeo (inquit quidam Vir Pius) dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem creditu est, sed hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maxima culpa pars resideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta caussa, supplicatoris precibus inserta, Dispensationis rescriptum tandem eliciunt; quos apud Deum, qui renes, & corda scrutatur, omnemque hypocrisim, ac fraudem excæcatur, secures quis dixerit; Nemo sibi de Dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam Divina Sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt, in quorum conspectu est Deus, plerique vero, qui sacra Auctoritate pro sua libidine passim abutuntur, fit ut Lugdunensis Conc. sub Greg. X. celebrati non in salubre Decretum adversus insolentiam hujusce modi hominum in usum revocare cogamur: quo subnixi, eunctis, qui talibus Diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponimus Litteras suas nobis exhibendi, visuris num vere impetraverint, ac recte impetratis utantur.*

Hinc Trid. Concilium Sess. 22. *De Reformatione*, cap. 5. Dispensationes extra Curiam Episcopo committi, & ab eo examinari jubet. *Dispensationes* (inquit) *quæcumque Auctoritate concedenda, si extra Romanam Curiam committenda erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint: ea vero, quæ gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam Delegatis Apostolicis, summarie tantum, & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.*

Ceterum inter Theologos convenit, quod si ad obtinendam Dispensationem exponitur unica caussa, eaque falsa, Dispensatio irrita est. Idem judicium esto, si plures exponantur, eæque falsæ. Si autem exprimantur plures, quarum nulla per se sufficit; sed omnes simul junctæ vim sufficientis rationis habent, si omnes veræ sint, valet dispensatio: si una sit falsa, dispensatio nullius roboris est. At si plures exprimantur, quarum una sola sufficit, ea existente vera; etiamsi aliæ falsæ sint, legitima dispensatio est: Illa autem existente falsa, nulla est, & caduca dispensatio, nisi aliquæ aliæ, quæ per se sufficiant, sint veræ.

Exprimi autem necessario debet in Dispensationibus quoad consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjuncti sint supplicantes. Honestas item publica, aliaque impedimenta clare, & distincte exprimi debent, qualiacumque sint. Incesta item copula pariter exponi debet, si forte præcesserit: explicandum etiam, utrum illam consummaverint spe dispensationis facilius obtinendæ. Mentio pariter faciendæ est raptus, si hujus criminis reus sit Orator, tametsi persona rapta a Raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta sit. Exponi præterea necesse est, an istud falsi nominis Matrimonium contraxerint, & consummaverint Oratores insuper habito impedimento dirigente, cujus erant conscii, aut si probabilem illius impedimenti ignorantiam habuerint: si contraxerint Matrimonium sine Denuntiationibus, aliisve sollemnitatibus requisitis. Circa impedimentum Voti, qualitas illius exponenda est, quæ occasione emissum; qua de caussa, quæ ætate. Accuratissima denique fide exponendæ sunt veræ rationes, quibus moveatur Orator, vel Oratrix ad Dispensationem postulandam; earumque veritas, & justitia prius in tribunali conscientiæ discutienda est, adhibito Consilio prudentis, pii, & eruditi Conscientiæ Moderatoris.

REGULA IX.

Cum vir, & mulier in secundo, & tertio, vel in tertio, & quarto consanguinitatis, aut affinitatis gradu sunt conjuncti, ad legitimam Dispensationem obtinendam, remotiorem gradum expovere sufficit.

De dispensationibus consanguineorum, vel affinium. Const. illa S. Pii V. incipit, Sanctissimus, quæ est 13 in Bullar. Rom.

Ita declaravit *S. Pius V.* edita Constit. anno 1566. qua *Pii IV.* Decessoris sui altera Constit. revocata, & instauratis *Gregorii XI.* & *Clementis VI.* Decretis, Sacramento, & libertati Matrimonii favere volens, *Statuit, & ordinavit, quod de cetero in quibuscumque Dispensationibus, quæ pro Matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, & mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis, & affinitatis, aut mixtis, ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, (cum in eo Sanctitas sua numquam dispensare intendat,) gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente Romano Pontifice, aut Sede Apostolica, impetrari, vel alias concedi contigerit, ac litteris, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore Litteris declaratoriis, juxta Gregorii XI. & Clementis VI. Constitutiones: Dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas Litteras, & Processus habitos, per easdem dispensatis, seu his, cum quibus dispensari mandatur, præter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde ac si in Litteris, seu Commissionibus hujusmodi, de proximiore, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset.*

REGULA X.

Episcopi certis in casibus dispensare possunt in Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

De potestate Episcoporum in Dispensationibus super impedimentis consanguinitatis, vel affinitatis.

Incredibile enim est, Summum Pontificem velle sibi reservare Dispensationes super impedimentis dirimentibus in summis angustiis, & cum animarum, graviumque damnorum periculo: siquidem reservatio dispensationis est propter caritatem, bonamque Christianæ Reipublicæ gubernationem, repugnaret autem caritati, & optimo Ecclesiæ Regimini. Fideles, qui Matrimonio cum aliquo impedimento dirimente, bona fide, ex Juris, aut facti ignorantia in facie Ecclesiæ contraxerunt, in angustiis constitutos relinquere opportuno destitutos remedio, cum occultum præsertim impedimentum est, nec Prima Sedes adiri potest ob conjugum paupertatem, aut locorum distantiam, aliasve similes caussas, neque possunt citra scandalum conjuges separari, aut etiam imminet peccati periculum. Deinde præscripta consuetudo, Summorumque Pontificum consensus Episcopus Auctoritatem vindicant certis in casibus dispensandi. Tertio, ita censet omnis Theologorum, & Canonici Juris Interpretum Natio. Denique *Zerola* Minorensis Episcopus *in Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*, testatur sibi ex Romana Curia fusse responsum, Dispensationum illarum potestatem esse penes Episcopos, concurrentibus sex circumstantiis sequentibus. 1. Ut Matrimonium jam sit contractum. 2. Ut sit contractum ignoranter quoad impedimentum. 3. Ut sit consummatum. 4. Ut impedimentum sit occultum. Censetur autem occultum, si publica fama vulgatum non est, vel ad forum contentiosum probari, ideoque lis dirempta, & pars rea sine nota dimissa fuerit. 5. Ut partes sint adeo pauperes, ut mittere non possint ad Summum Pontificem, vel ad Legatum. 6. Ut si fieret separatio, verisimiliter scandalum oriretur. Si vero aliqua ex his circumstantiis non adsit, & personæ sint revera pauperes, rudes, rusticæ, Episcopalis Caritatis erit prosequi hanc Dispensationem in forma pauperum apud Sedem Apostolicam, ut plane gratis, & sine compositione obtineatur.

Circa Matrimonia contrahenda multo arctior est Episcoporum potestas; & raro admodum contingit, ut in impedimentis dirimentibus, re adhuc integra, dispensare possint.

sint. Casum tamen vulgo proponunt Auctores probati, in quo dispensare possit Episcopus in impedimento dirimente, nondum contracto, sed proxime contrahendo Matrimonio. Sponsalibus sollemni Ritu contractis, præmissis Denuntiationibus, Parocho ex Confessione viri, aut puellæ proxime nupturæ dirimens aliquod impedimentum innotescit, ex. gr. contractæ affinitatis ex illicita copula occulta. Omnia sunt ad sollemnitatem Nuptiarum ipsa die celebrandam parata. Omnibus discussis, nulla patet via publici scandali devitandi, infamiæque, aut certe gravissimarum inimicitiarum avertendarum, si matrimonii celebratio differatur. In his rerum angustiis, ad Episcopum confugiendum est ut dispenset pro conscientiæ foro. Tamen poterit fortassis hoc efugium adhiberi, ut fundeatur puellæ, aut viro Votum castitatis emittere ad duos menses, ut probabilem differendarum Nuptiarum caussam parentibus afferre possint; dicendo, Se a Confessario monitos, necessario sibi petendam a Sede Apostolica Dispensationem super Voto castitatis nulla tamen esta præfiniti temporis mentione, quia Votum castitatis ad tempus servandæ ab Episcopo remitti potest. Matrimonium interim differetur, & dum in Romana Curia res aperte geretur pro Dispensatione Voti castitatis, clam procurabitur Dispensatio veri alterius impedimenti pro foro interiori. At si cautio ista spectatis rerum, aut personarum circumstantiis judicetur difficilis, aut impossibilis executionis, impetranda est ab Episcopo Dispensatio, quam in his angustiis concedere poterit.

REGULA XI.

Cum de contrahendo Matrimonio agitur, vel publicum Impedimentum est, dispensare non possunt Episcopi, nisi potestatem dispensandi urgente necessitate a Summo Pontifice obtinuerint.

De dispensationibus & de potestate Episcoporum in his caussis.

Hodierna scilicet Ecclesiæ Disciplina, secundum quam Dispensationes in gradibus prohibitis consanguinitatis, vel affinitatis, aliisve impedimentis dirimentibus, Romano Pontifici reservatæ sunt, cum publicum impedimentum est, & de Matrimonio contrahendo agitur, non permittit, ut Episcopi his in circumstantiis dispensent. Cum enim ab Ecclesia universali, sive illius Capite Romano Pontifice sint instituta impedimenta Matrimonium dirimentia, Dispensatio super eis communi Jure ad caput universalis Ecclesiæ Romanum Pontificem, non ad Episcopum pertinet, ut colligitur ex cap. *Cum inferior*, Ext. *De Majoritate, & obedientia*, Concilique Provincialia plurima, & Ritualia Ecclesiarum, Auctores omnes id confirmant, & Auctoritatem dispensandi competere negant Episcopis, cum publicum impedimentum est, vel de contrahendo matrimonio agitur. Si tamen a Sede Apostolica facultatem obtinuerint dispensandi etiam de contrahendo, & de publico impedimento, urgente necessitate, dubium non est, quin legitime dispensent, cum id faciant, ut Sedis Apostolicæ Delegati.

REGULA XII.

Episcopos numquam posse dispensare in tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu, immo nec in quarto, de contrahendo, probabilius videtur.

Hanc enim Concilia ipsa Gallicana tum antiqua, tum recentiora Episcopis adimunt facultatem, Conc. Vermeriense, anno 752. can. 1. *In tertio gradu conjuncti separentur, & post Pœnitentiam actam si ita voluerint, licentiam habeant aliis se conjungere. In quarta autem conjunctione si inventi fuerint, eos non separamus, sed Pœnitentiam eis indicamus. Attamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.*

Conc. Compendiense can. 1. *Si in quarta progenie reperti fuerint conjuncti, non separamus: In tertia vero si reperti fuerint, separentur. Et eos, qui unus in quarta, alius in tertia sibi pertinent, & conjuncti inveniuntur, separemus.*

Conc. Turonense anno 1583. cap. 9. *Quibus* (inquit) *in quarto consanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus supra expressis, Episcopis dispensare non licere, declaramus.*

Conc. Tolosanum 1590. cap. 8. *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos, & dispensatos, nisi visa prius Summi Pontificis Dispensatione, in Matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant.*

Synodus Lingonensis: *Gradus Consanguinitatis sic ponuntur. Fratres, aut sorores sunt in primo gradu. Filii duorum fratrum, aut sororum sunt in secundo gradu. Filii cognatorum germanorum, dicti secundi cognati, sunt in tertio gradu. Horum filii, dicti tertii cognati germani, sunt in quarto gradu. Inter istos non est legitimum Matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum.*

Idem sancitum est, ac declaratum Synodalibus Constitutionibus Ecclesiæ Trecensis.

Si tamen antiqua sit, & legitime præscripta Diœcesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in casibus dispenset, quia ejus Decessores hac usi sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quæ a Sede Apostolica concessa creditur (quod in quibusdam Galliarum Diœcesibus fieri novimus) de his Dispensationibus haud movenda lis est: Siquidem consuetudo legitime præscripta Juri positivo præjudicat, ususque longævi non levis est auctoritas, ut dicitur cap. *Cum Consuetudinis*, & c. *Cum tanto*, Ext. *De Consuetudine*. At si dubitet, vel metuto dubitare debeat Episcopus, an Dispensationes a suis Decessoribus concessæ sint ex Privilegio reali, & perpetuo, an ex Privilegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi Privilegium a Summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore.

REGULA XIII.

Dispensatio Matrimonialis ab illo impetrata, qui dispensandi facultatem habere vult existimabatur, valida est.

Sic in Rota Romana fuisse judicatum, referunt *Ancharanus* Consilio 409. Addit. ad Decisiones Rotæ 1. *De filiis Presbyterorum*, Num. 2. & *Zerola* in *Praxi Episcopali*, verbo. *Dispensatio*: Et tam concedentes, quam impetrantes Dispensationem bona fides hac in specie excusat.

REGULA XIV.

In Impedimentis non dirimentibus dispensare possunt Episcopi, exceptis Votis Castitatis, & Religionis. Dispensare pariter possunt in Impedimentis omnibus Matrimonio jam contracto supervenientibus.

Cum multa Ext. de Voto, vel Redemptione, & Sixtus IV. Const. quæ incipit, Etsi, Extrav. commun. Tit. de Pœnitentiis, & Remissionibus.

Sic Ecclesiæ Disciplina, ususque ferunt. Quia vero excipiuntur Vota Castitatis, & Religionis, quæ Summo Pontifici tam stricte sunt reservata, ut nec in Jubilæis universalibus concedat facultatem super illis dispensandi: Observandum est, Vota de non nubendo, de non petendo conjugali debito, de susceptione Sacrorum Ordinum, de castitate ad tempus servanda, sub Voto Castitatis perpetuæ, vel Religionis non comprehendi; quia non sunt absoluta Vota Castitatis, ideoque in illis dispensare potest Episcopus. Potest etiam dispensare circa Impedimenta, quæ prius contracto Matrimonio superveniunt, & debiti conjugalis petitionem prohibent, qualis est affinitas ex incesta copula.

REGULA XV.

Si pari utraque aliquo devincta sit impedimento, quod solvere posse Episcopus, & e diversis Diœcesibus sint, qui Matrimonium contrahere volunt, unius Episcopi Dispensatio non sufficit, sed ab Episcopis utriusque Diœcesis petenda, & obtinenda est, vel certe a Summo Pontifice, aliqui nulla esset, ac irrita Dispensatio, nullumque proinde, quod ex vi illius contraheretur, Matrimonium.

Cum enim Dispensatio sit actus Jurisdictionis, & Episcopus nullam Jurisdictionem habeat in eum, qui Diœcesanus illius non est, neque ratione domicilii, neque ratione originis, dispensare cum illo non potest: quamobrem ad proprium remittendus est Episcopum.

REGULA XVI.

Dispensare numquam possunt Episcopi in cognationis spiritualis impedimento.

De dispensationibus.

Fieri enim vix potest, ut Matrimonium inter compatrem, & commatrem, vel matrem, & filium spiritualem, aut patrem, & filiam spiritualem sit bona fide contractum, utque impedimentum istud prorsus occultum sit: nec scandalum ullum oriatur, si Matrimonium contra sacras Ecclesiæ Leges ita contractum dirimatur. Adde, quod Ecclesia non solet in primo Cognationis spiritualis gradu facile dispensare: immo Summi Pontifices denegarunt aliquando Dispensationem his, qui impedimentum ignorantes bona fide Matrimonium contraxerant. Sacra Congr. Concilii Trid. Interpres olim rogata, An puella novennis de Sacro Fonte suscipiens infantem, contrahat cum eo cognationem spiritualem: & si cognationis istius spiritualis immemor, cum eo contrahat matrimonium, an sit concedenda Dispensatio? Respondit, Cognationem spiritualem esse contractam, & dispensationem concedendam esse: At *Gregor. III.* ad quem relata est Sacræ Congregationis Sententia, dispensare noluit. Et quamvis nonnumquam post tempora *Gregorii XII.* dispensatum fuerit ob dotis incompetentiam, cum illius augmento sufficienti, non tamen est judicandum exemplis, nec quod aliquando factum est, sed quod fieri debet, est spectandum: (inquit *Prosper Fagnanus*, qui hæc referr in cap. *Ex litteris*, Ext. *De cognatione spirituali*.) Quod si Summi Pontifices, qui super hoc impedimento dispensare possunt, cum Jure dumtaxat Ecclesiastico sit institutum adeo tamen se præbent in dispensando difficiles, quia expedire non putant, ut dispensetur; hinc certo colligitur, Episcopos in eo impedimenti genere dispensare non posse, sive contrahendum sit, sive jam contractum Matrimonium.

REGULA XVII.

Cum Matrimonium coram Parocho, testibus bona fide contractum est, non est necesse denuo solemni ritu in facie Ecclesiæ contrahi ab his, quos inter nullum erat Matrimonium ob Impedimentum aliquod dirimens, cum impetrata fuerit dispensatio; sed tamen necessaria est renovatio mutui consensus.

De dispensationibus. Necesse non esse, ut Matrimonium rursus in facie Ecclesiæ contrahatur, S. *Pius V.* Pontex Sanctissimus declaravit, ut referunt *Navarrus*, & *Ferola*. Necessariam vero esse mutui consensus renovatione ratio, Jusque suadent. Caussa enim sufficiens Matrimoi est mutuus consensus personarum ad contrahendum legimarum. Cum porro consenserunt in Matrimonium impediento manente, non erant personæ legitimæ ad contrahenum: non erat igitur consensus sufficiens ad Matrimonii firitatem. *Quod autem de jure ab initio non subsistit, tractu temporis non convalescit*; ut habet Regula Juris. Quamobm consensum utriusque partis oportet renovari. Non est tamen neccesse hunc in specie defectum parti alteri, quæ id ignorat, aperiri, dumodo novus ab illa consensus simul eliciatur.

REGULA XVIII.

Officiales, ad quos Mandatum Apostolum de dispensando dirigitur, cujusvis consuetudinis prætextu aliquid exigere, aut recipere tuta conscientia non possunt ab iis, quibuscum Sedis Apostolicæ nomine dispensant.

Dispensationes enim *gratis* concedi Concilium Trident. statuit; & in Mandatis de dispensdo hæc inferitur clausula: *Mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii: etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere mandam*, &c. *Volumus autem, quod si spreta Monitione nostra ejusmodi aliquid muneris, aut præmii occasione dictæ Dispensationis exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, Exmmunicationis latæ Sententiæ pœnam incurras.* Hanc vero clausulam ita esse intelligendam, ut Officiali nequidem stendii, vel honorarii nomine aliquid exigere, vel recipe liceat pro Matrimonialium Dispensationum a Summo Intifice concessarum executione, censet *Navarrus*, cujus opio probabilior videtur, quam aliorum qui Officialium qrumdam cupiditati favent, sententia. Quis enim stipendi, vel honorarii nomine munus quodlibet aut præmium prsertim sponte oblatum non cohonestabit, ut cupiditati sui velamen excusationis obtendat? Id vero quid aliud est quam Pontificis Mandatis illudere? Certe re in dubio pita, manus a pecunia, vel quocumque munere, quod pecunia possit æstimari, continere debent, ne Excommunicationis latæ Sententiæ periculo temere se committant.

Adde Concilii 5. Mediolanensis sub *Carolo Borromæo* Decretum: *Pro Dispensationum* (inquit *Matrimonialium executione nihil quidquam prorsus muner, præmiive, etiam sponte oblati, ac ne pro labore quidem qui in testibus ea caussa examinandis, aliisve testificationibus excipendis ponitur, Episcopus, aut Vicarius ejus capiat Notarii vero pro examine testium quartam dumtaxat paem aurei ad summum capiant.*

CAPUT V.

De Conjugum Officiis, usuque Matrimonii.

§. I. *De Conjugum Christianorm Officiis.*

Christianorum conjugum officia. QUomodo in Matrimonio sit vivendum, ac moriendum, *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus explicat his verbis.

„ Docebit opportuno tempore Parochs officia viri erga uxorem, rursusque uxoris officia erga virum monebit, ut incommoda Matrimonii patienter fant, contenti ea, in qua vocati sunt, vocatione.

„ Quam diligenter etiam fidem, qua sibi mutuo præstiterint, inviolatam servent usque amortem. Quam se ipsos inter se unice diligant sancto cdis affectu, ita ut nefariis aliorum moribus non capiantu, nec thorum maritalem inquinent.

1. Thess. 4. „ Purum Matrimonium sit, & ab obenarum cupiditatum contagione liberum (inquit *S. Gregorius Nazianzenus*,) Cum enim Matrimonium a Do institutum sit, præcipue ad sobolem procreandam, iæ sancte educetur, sancte illo uti debent, *Unusquisque sciat* (ut Apostolus monet) *vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicu & Gentes, quæ igorant Deum. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*

1. Cor. 7. „ Ut illud meminerint Apostoli, Qui *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui potestatem non habet, sed mlier.*

„ Ut in magnis anni Sollemnitatibus, diebusque Dominicis ex Nicolai I. Rescripto, diebus Jejuniorum, & certo tempore orationi assignato, & quibus diebus Eucharistiam sumturi sunt, sumserintve, a copulatione actuque Matrimonii, quantum possunt, de communi consensu abstineant.

„ Ut cum uxor gravida est, frequentius ambo in oratione, precibusque versentur, quibus a Deo prolem optimam impetrent. Filios non sibi, sed Deo nascituros, illi offerant ante nativitatem, & quamprimum filios Dei fieri per Baptismum procurent. *Annam* imitentur, quæ *Samuelem*, non sibi sed Tabernaculo peperit: illos Deo per Baptismum consecratos, velut depositum ab illo sibi traditum integrum servent ejus divinæ Majestati reddendum, cum reposcet. Ubi liberos susceperint, nihil potius curent, quam ut in timore Dei, & Disciplinæ Christianæ institutis educent, & conforment ad præscriptum Instructionum eo nomine editarum; (inquit *S. Carolus*.)

Christianorum conjugum officia. „ Ut rem familiarem modis nefariis, nullo modo augeant; neque studeant locupletiores fieri cum offensione Dei, & injuria proximi.

„ Ut Patrum-familias Instituta exequantur Libro Instructionum explicata.

„ II. In ægrotatione, sicut in omni alia re necessaria, sibi mutuam opem ferant, atque succurrant omnibus officiis, quæ cum ad corpori curationem, tum in primis ad Animæ salutem pertinent.

„ Ut propterea in ægrotatione nullum alter alteri præstet impedimentum, quominus continuam habeant Dei memoriam; imo vero potius sese mutuo consolentur salutaribus consiliis; hocque cohortentur, aliosque item hortatores adhibeant, ut Sanctissima Sacramenta, Pœnitentiam scilicet, Eucharistiam, & Extremam Unctionem in tempore suscipere ægrotus curet.

„ Ut liberos etiam suos piæ, ardentisque caritatis studio patens admoneat, instruatque ad Vitæ Christianæ rationes. Et vero vitia, quibus potissimum illos deditos esse animadverterit, vehementer objurget. Demum benedicat exemplo Sanctissimorum Patrum.

„ Ut domui suæ bene disponat, & Testamentum rite conficiat, præsente etiam Patre spirituali: de cujus consilio in Testamenti etiam factione remedium quærat Animæ suæ.

„ Ut in extremo illo etiam spiritu sese alacriter in Domino confirmet ad mortem suscipiendam, expectans post separationem vitæ hujus mortalis, conjunctionem perpetuam in vita sempiterna.

Actorum Ecclesiæ Mediolanensis P. 4. p. 103. & seq. „ III. Sanctus idem Archiepiscopus Patribus, Matribusque familias, & quibuscumque aliis domorum capitibus has Regulas tradit recte gubernandæ, & instituendæ familiæ.

„ Hos tantum domi famulos habeas, & familiæ tuæ adscribas, quorum opera indigueris, quosque commode pro facultatum ratione; æris alieni nihil contrahendo, nec a debitis illis stipendiis quidquam auferendo, poteris alere. Idque in primis cures, ne inter domesticos, blasphemiis addicti, concubinarii, aut depravati moribus, vitiisque dediti, aut fama notati ulli inveniantur.

„ Omnium actionibus sedulo invigiles, ita ut, quæ singulorum sit morum ratio, ex eorum colloquiis, consuetudine, & commercio rescias. Tibi ideo sit e domesticis aliquis aut vicinis, si familia tua pusilla sit numero, cui credas, quique censor secretus omnia observet: cumque in vitiis, aut eorum aliquo periculo versari quemquam acceperit, tibi referat.

„ Sed quid mali tibi narratum sit, facile illud, nisi prius discusseris, & de eo certior fias, non credas; sed ubi in vitia aliquis revera deprehenditur, delinquentem prius moneas, adhibita postea debita correptione. Qui jam sæpius de gravis momenti re admoniti, ad meliorem frugem se non receperint, si famuli sint, hisque similes, domo eliminentur; si vero filii, debita pœna plectantur.

„ Blasphemias, furtum, concubinatus, & quasvis morum corruptelas non impune feras: Item, nec qui Paschatis tempore confessus Communionem non exceperit; vel, qui non tenet Doctrinam Christianam, nec curat in ea quoad res saltem magis necessarias institui.

Christianorum conjugum officia. „ Id in primis cures, ut filii, & domestici masculi a fœminis distincti ita & separati dormiant, ut nullius periculi occasio sit: singuli quoque suo lecto separatim donentur: conjuges in lectum non admittant filios, aut filias, immo nec in eodem cubiculo sinant decumbere, sed alio in loco securo, & separato, si valeant.

„ Libros obscenos, aut picturas in domo non patiaris, nec cantilenas, vel odas minus honestas cantari, sed nonnisi spirituale quid & devotum ibi videatur, aut audiatur: ideo domum, ter aut quater per annum ex improviso juvat perlustrasse: immo & domesticorum thecas, & arculas investigasse, quicquid vanitatis usui erit, amovendo. Nec etiam e domesticis, sive domi sive foris quemquam patiaris malorum inire consortium, sed ut quamvis peccati occasionem fugiant, sedulus sis. Nullum item otiosum, & desidem, sed aliquo exercitio honesto occupatum detineas.

„ Fœminas monebis, ne stent ad januas, aut ad fenestras, nec minus adhuc fucum, & pigmenta, speciei suæ ut consulant, adhibeant.

„ Noli in alendis canibus, aut equis minime necessariis illud impendere, unde plurimorum Christi pauperum refectioni posset subveniri. A quibuscumque impensis immodicis, & inutilibus abstineas: quibus etenim facultatibus, & opibus vales, earum, utpote dispensator tantum apud Deum, habiturus es rationem.

„ Pauperibus eleemosynam lubens largiaris, in eaque virtute filios cures ab infantia institui, data eis facultate, & mandato id munus exercendi.

„ Caritate, & prudentia cum universa familia te geras, omnia ei necessaria curans impartiri, & in stipendiis detrimenti quidquam nemo patiatur.

„ Verbis asperioribus, aut conviciis nec filios, nec quemcumque alium habeas: nitaris idcirco gratiam a Deo obtinere, qua iram in occurrentibus adversis, sive domi, sive foris, unde sis morosior, coerceas.

„ Dum e domesticis quis infirmitate laborabit, ad patientiam, qua morum emendationem a Deo obtineat, adhortaberis, & intra tres dies nullo habito respectu Confessionem agat, curabis. Infirmo famulos invisas, quibus in ædibus tuis jubeas necessaria ex caritate ministrari: nec enim decet eos ad Xenodochia mittere, quorum opera, dum valerent usus es.

„ Fovendæ in domo paci, & unioni, ut caritas fraterna observetur, studeas, nec alterutri favere videaris, sed omnes cum patientia audias. Neminem e tuis sinas cuiquam negotium lacessere, aut inimicitiis, odiove quemquam prosequi; sed ubi aliquid dissidii subortum deprehenderis, altercantes subito componas, sive domesticos, sive externos.

„ Arma a tuis umquam gestari, nisi pro defensione, aut ratione eorum officii, aliaque manifesta ex necessitate prohibeas.

„ Omnes e familia sæpius adhorteris, in quo verbis, conviciis, aut factis læsi sunt, id condonent, nec umquam ulciscantur, nec pro sæculi honore altercentur.

„ Verbis, & operibus sis in exemplum domesticis, nec quidquam in eorum conspectu agas, aut loquaris, quod dedeceat.

„ Recta monita, & documenta tuis semper tradas, nec ab his monendis, ne scilicet contristentur, aut quacumque simili ex caussa, umquam abstineas.

Christianorum conjugum officiis. „ Inter alia de quibus filios, aliosve monuisse juvat, horum in primis recorderis. Ne ullum scilicet umquam dolo decipiant, vel defraudent: aut quidquam mala arte sibi vindicent. Ne sua nobilitate, aut dignitate, sed Christianis tantum suis moribus, & virtutibus nitantur, nec dignitates, humanamque auram aucupentur, rerum temporalium superflua ne sectenter, immo illa potius aspernentur.

„ Omnimodo cures omnes e familia Doctrinæ Christianæ saltem essentialia capita teneant, eos ideo mittas ducasve ad Sholas, sive mares, sive fœminas, adultos aut pueros.

„ Sanctissimum Confessionis usum, juxta quæ generaliter monuimus, frequentius observent; nec abs re erit Communionem saltem per mensem, & sollemnibus diebus in Parochiali Ecclesia ab universa familia celebrari.

„ Maximæ utilitatis foret, si uni Confessori omnes e familia confiterentur, ut animæ omnium infirmitates illi melius innotescerent, eosque tutius in via Domini dirigeret. Peritiores saltem Confessores adeant.

„ Indicta a Sancta Matre Ecclesia, Quadragesimæ scilicet, Quatuor Temporum, Vigiliarum, aliaque ex voto, & consuetudine Jejunia observari omnino facias.

„ Omnes item pro Oratione, & Conscientiæ Examine agendis pro capacitate cures institui, & Matutinam, Serotinamve, priusquam lectum petant, conscientiæ discussione prævia, ab his haberi. Ideo mane, & sero ad campanæ signum, aut saltem alia hora illis commodiori universa familia cogatur, aut in Ecclesia, aut domi coram Imagine omnes simul habeant.

„ Neminem patiaris ad mensam accedere, qui non ante fuerit bene precatus; nec ab ea discedere, nisi actis Deo gratiis. Librum aliquem spiritualem filiis, aut aliis legi, si possit, aliquo saltem, si non omni refectionis tempore curabis, isque Liber a Parocho, aut Confessore prius comprobabitur. Librum item spiritualem aliquamdiu post cœnam legi facias, colloquiorum vice, aut Sancti Vitam, cujus ea die fit Memoria, & eam in rem simul colloquantur, ut nonnihil utilitatis inde sibi concilient, & ex tot Sanctorum exemplis virtutem aliquam sibi comparandi studio accendantur.

IV. Concilii Trid. Catechismus viri erga uxorem, & uxoris erga virum officia explicat P. 2. Tit. *De Matrimonii Sacramento*, §. 31. & 32. *Viri* (inquit) *munus est, uxorem liberaliter, & honorifice tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appellatam esse, cum inquit,* Mulier, quam dedisti mihi sociam: *Cujus rei caussa alii Patres factum esse docent, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur: Quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut viri se dominam non esse intelligeret, sed viro potius subjectam.*

Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio semper occupatum esse, tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam sustentandam necessaria sunt; tum ne inerti otio torpescat, a quo vitia fere omnia fluxerunt.

Deinde vero familiam rite constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

Christianorum conjugum officia. *Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum Princeps enumerat, cum inquit:* Mulieres subditæ sint viris suis: Ut, & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram: Quarum non sit extrinsecus capillatura, nec circumdatio auri, aut argenti, & vestimentorum cultus: sed, qui absconditus est, cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & Sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. (1. *Petri cap.* 3.)

Earum quoque proprium studium sit, filios in Religionis cultu educare, domesticas res diligenter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat: Idque sine viri permissu facere numquam audeant.

Deinde, in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerint semper secundum Deum, magis quam virum, neminem diligendum, eove pluris faciendum neminem: Cui etiam omnibus in rebus, quæ Christianæ pietati non adversantur, morem gerere, & obtemperare summa cum alacritate animi oporteat.

V. Christianis Mulieribus proponendum & *S. Monicæ* exemplum a *S. Aug.* Lib. 9. *Confessionum*, cap. 9. ob laudabiles mores, & reverentiam, castumque amorem erga virum, & benevolentiam erga socrum, concordemque caritatem commendatæ. *Educata* (inquit) *pudice, ac sobria potiusque a te subdita parentibus quam a parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti domino, & satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus illam pulchram faciebas, & reverenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet umquam simultatem. Exspectabat enim super eum misericordiam tuam, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto, & quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cum Matronæ multæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam; hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas Tabulas, quæ Matrimoniales vocantur, recitari audissent, tamquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse, proinde memores conditionis, superbire adversus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, scientes quam ferocem conjugem sustineret, numquam fuisse auditum, aut aliquo judicio claruisse, quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a se invicem, vel unum diem domestica lite dissenserint, & caussam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. Quæ observabant, expertæ gratulabantur; quæ non observabant, subjectæ vexabantur.*

Socrum etiam suam primo susurris malarum ancillarum adversus se irritatam, sic vicit obsequiis, perseverans tolerantia, & mansuetudine, ut illa ultro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se, & nurum pax domestica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque postea quam ille & matri obtemperans, & curans familiæ disciplinam, & concordiæ suorum consulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit, promisit illa talia de se præmia sperare debere, quæcumque de sua nuru sibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur, nullaque jam audente, memorabili inter se benevolentiæ suavitate vixerunt.

VI. Christianos conjuges *S. Gregorius* ad virtutem Matrimonii statui convenientem præclaris monitis informat *Pastoralis Curæ* P. 3. Admonitione 28. *Admonendi sunt conjugiis obligati, ut cum vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere studeat conjugi, ut non displiceat Conditori: sic ea, quæ hujus mundi sunt, agant, ut tamen appetere, quæ Dei sunt, non omittant: sic de bonis præsentibus gaudeant, ut tamen sollicita intentione mala æterna pertimescant: sic de malis temporalibus lugeant, ut tamen consolatione integra spem in bonis perennibus figant: Quatenus dum in transitu cognoscunt esse quod agunt, in mansione sciant quod appetunt: nec mala mundi cor frangant, cum spes cælestium roborat: nec bona præsentis vitæ decipiant, cum suscepta subsequentis Judicii mala contristant. Itaque animus Christianorum Conjugum & infirmus, & fidelis, qui & plene cuncta temporalia despicere non valet, & tamen æternis se conjungere per desiderium valet; quamvis in delectatione car-*

carnis interitum jaceat, supernæ spei refectione convalescat. Et si habet, quæ mundi sunt in usu itineris, speret, quæ Dei sunt in fructu perventionis: nec totum se ad hoc, quod agit, conferat, ne ab eo, quod robuste sperare debuit, funditus cadat. Quod bene, ac breviter Paulus exprimit, dicens; 1. Cor. 7. Qui habent uxores, tamquam non habentes sint: Et, qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes. *Uxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen numquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Uxorem quasi non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio expectat. Non flendo autem flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æternæ spei consolatione gaudere. Et rursum, non gaudendo gaudere, est sic de infimis animum attollere, ut tamen numquam desinat summa formidare. Ubi apte quoque paullo post subdidit, dicens:* Præterit enim figura hujus Mundi. *Ac si aperte diceret. Nolite constanter Mundum diligere, quando & ipse non potest, quem diligitis, stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis.*

Galat. 6. *Admonendi sunt conjuges, ut ea, in quibus sibi aliquando displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent. Scriptum namque est:* Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis Legem Christi. *Lex quippe Christi caritas est: quia ille nobis & largiter sua bona contulit, & æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo Legem Christi imitando complemus, quando & nostra bona benigne conferimus, & nostrorum mala pie sustinemus. Admonendi quoque sunt, u eorum quisque non tam, quæ ab altero tolerat, quam quæ ab ipso tolerantur, attendat. Si enim sua, quæ portantur, considerat, ea, quæ ab altero sustinet, levius portat.*

Denique paucis mutua Christianorum Conjugum Officia complectar, vir uxorem suam diligere, mulier virum suum revereri, eique parere tenetur, quod luculentis verbis explicat Apostolus ad Ephesios scribens, cap. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans Lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliud hujusmodi, sed ut sit* Mutua Christianorum conjugum officia. *sancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit; & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ: Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo; & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: Uxor autem timeat virum suum.* Et ad Colossenses 3. *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas,* Viri diligere debent uxores suas, ut Christus Ecclesiam. Non igitur amore turpi, sed casto, spirituali, & cum vera pietate conjuncto, Mulieres subditæ esse debent viris, ut Ecclesia Christo, in omnibus, eisque non timore, sed cum reverentia, & amore obsequi; non dominari, non docere, sed blanda obsecratione monere, non cum irati sunt, aut ebrii, sed more prudentissimæ *Abigail*, dum est opportunum, si quo modo tandem viros suos salvos faciant.

Apostoli, immo vero Domini per Apostolum inculcata præcepta de mutuis conjugum officiis egregie explicat S. *Jo. Chrysost.* Hom. 20. in Epist. ad Ephesios: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quamobrem? Quoniam si hi sint in concordia, & recte aluntur filii, modestique sunt famuli, & ordinem non deserunt, & bono eorum odore fruuntur vicini, amicique & cognati. Sin autem contra evertuntur, & confunduntur omnia. Et quomodo cum Duces Exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam; & si rursus illiturbentur, sursum, & deorsum aguntur omnia: ita nunc quoque.*

VIRI, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. *Vidisti mensuram obedientiæ? Audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus Ecclesiæ. Etiamsi animam pro ipsa dare oporteat, etiamsi millies conscindi, etiamsi quodvis sustinere, & pati, non recusabis; & si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem jam conjunctus hæc facis? Ille autem pro ipsum aversante, & eum habente odio. Quomodo ergo Ipse eam, quæ ipsum aversabatur oderatque & contemptui habebat, ac conspuebat, & per lasciviam ei insultabat, magna sua cura suis subjecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque ullo alio ejusmodi: Ita tu quoque te gere in tuam uxorem. Etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem, poteris multa ejus cura, & providentia, dilectione, & amicitia eam tuis pedibus subjicere. Nihil est his vinculis magis tyrannicum, & maxime marito, & uxori. Nam famulum quidem poterit quispiam metu alligare, immo vero ne illum quidem, fortasse enim resiliet, & abibit; vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est caussa, & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu, & minis ligare, sed dilectione, & affectione. Quænam enim est conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quænam autem voluptate fruetur ipse maritus cum uxore habitans tamquam cum ancilla, & non tamquam cum libera? Et si quid pro ea passus fueris, ne exprobres. Neque enim Christus hoc fecit. Et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.*

Uxor autem timeat virum. Mulier est secundus principatus, neque enim ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub capite: neque ille tam despiciat tamquam subjectam; est enim corpus. Si caput corpus despiciat, ipsum quoque peribit... Mulier cui videtur afferri damnum, quod jubeatur timere, lucratur. Viro enim est præceptum id quod est præcipuum, scilicet diligere. Quid vero si non timeat uxor? Tu dilige, imple quod tuum est... Sed quando audis timorem, exige timorem, qui convenit liberæ, non tamquam ab ancilla. Est enim corpus tuum. Nam si hoc feceris, te ipsum probro afficis, tuum corpus afficiens ignominia. Quis est autem timor? Ut non contradicas, ut non resurgas, ut primas partes non ames. Ad hæc usque satis est timore consistere. Sin autem diligis, ut est præceptum, etiam majora facies.

Tum rursus maritum compellans: *Ostende te magni facere cum ipsa consuetudinem & malle te domi esse propter ipsam, quam in foro: & eam præpone omnibus amicis, & liberis, quos ex ea suscepisti: & ipsi quoque a te propter ipsam diligantur. Si boni quid feceris, & lauda, & admirare. Si quid contingat absurdi, & tamquam juvenile, suade, & admone... Sint preces vobis communes. Unusquisque eat ad Ecclesiam, & eorum, quæ illic dicuntur, & leguntur, & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa a marito. Si premit paupertas, produc in medium sanctos viros Petrum, & Paulum qui in majori fuerunt existimatione quam omnes Reges, & divites, & quomodo vitam egerunt in fame, & siti. Erudi eam, Nihil in vita esse terribile, præterquam Deum offendere.*

Officia tandem Christianæ uxoris sunt, *Honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere*; ut habetur *Tobiæ* 10.

§. II. *De Usu Matrimonii.*

VIII. Usum conjugii quod spectat, sic explicare oportet, quæ ad illum Christiane exercendum pertinent, ut nec rerum necessariarum cognitio hac in materia Pastoribus, Confessariisque desit, nec inutilium, & quas curiosius scrutari, aut in iis particulatim expendendis morari periculosum est, lectio superflua ipsos inquinet. Id autem pro more nostro certis Regulis exequemur. Matth. 25.

REGULA PRIMA.

Matrimonii usus non solum peccati expers est secundum se, sed meritorius esse potest.

Qui enim fecit hominem ab initio, mulieremque illi in sociam, & adjutorium dedit, dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non aliter autem duo fiunt in carne una, quam usu conjugii. Hinc Apostolus ad *Hebræos* cap. 13. ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Thorus porro immaculatus non esset, si conjugalis concubitus absque peccato esse non posset. Hinc S. *Aug.* Lib. *De Bono Conjugii*, cap. 6. *Conjugalis* (inquit) *concubitus generandi gratia non habet culpam: Concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: Adulterium vero, sive fornicatio letalem habet culpam.*

Idem docet *S. Thomas* in 4. Sentent. dist. 26. quæst. 1. art. 4. *Si* (inquit) *ad actum Matrimonialem virtus inducat, vel Justitiæ, ut debitum reddat; vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius.*

REGULA II.

Usus Matrimonii non est inculpabilis, nisi fiat caussa prolis procreandæ, vel debiti reddendi.

De usu Matrimonii.

Alias enim concupiscentiæ quodammodo serviunt conjuges, quamvis intra Matrimonii fines redigatur; unde id nonnisi *Secundum veniam* Apostolus concedit. Hinc *S. Aug.* Lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. *In ipsa* (inquit) *immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam propter caussam procreandi sibi misceantur; & si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt. Nuptiæ tamen ab adulterio, seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter Nuptias admittitur, sed propter Nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum caussa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem.*

Exigere debitum a conjuge per incontinentiam, non filiorum procreandorum caussa, veniale peccatum est.

Et infra: Melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit caussa gignendi; sed quia illa continentia meriti amplioris est; reddere vero debitum conjugale, nullius est criminis: exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis; fornicari vero, vel mœchari, puniendi criminis; cavere debet caritas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugi faciat unde damnetur.

Et cap. 10. *Concubitus necessarius, caussa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane Nuptiarum.* Et rursus: *Non itaque Nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola caussa procreandi, & aliquando nulla caussa procreandi, quem Nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant.*

Et *Enchiridii* cap. 78. *Putari posset non esse peccatum misceri conjugi non filiorum procreandorum caussa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, eo potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium vitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non se peccatum, nisi addidisset* Apostolus: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. QUIS AUTEM JAM ESSE PECCATUM NEGET, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur?*

Et Serm. 2. alias *De Diversis* 63. cap. 13. *Qui uxoris carnem amplius appetit, quam præscribit limes ille, liberorum procreandorum caussa; contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conspectu omnium attestantium; & recitantur liberorum procreandorum caussa: & vocantur Tabulæ Matrimoniales. Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores, quis sana fronte dat filiam suam libidini alienæ? Sed ut non erubescant parentes, cum dant, recitantur tabulæ, ut sint soceri, non lenones... Erubescat maritus aliter accipere, si erubescit pater aliter dare. Sed si non possunt, exigant debitum; non egrediantur ultra debitores suos... Et si egrediantur metas Matrimonialis pacti, non egrediantur metas conjugalis thori. Numquid hoc non est peccatum, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere a conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit, Hoc autem dico secundum veniam.*

Et cap. 14. *Duo sunt opera carnalia, quibus constat genus humanum: in quæ duo opera prudentes, & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud est enim ad aliquid officio descendere, aliud in aliquid per cupiditatem cadere. Quæ sunt ista, quibus constat genus humanum? In nobis ipsis primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta, manducare, & bibere: & si non feceris, morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum, pro modo naturæ suæ, manducandi, & bibendi. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines, quod ad se ipsos attinet: successioni autem non consulunt manducando, & bibendo; sed uxores ducendo.... Ad utrumque sapiens & prudens, & fidelis officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum, & bibendum quam multi veraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam, quasi ipsam caussam vivendi? Cum ideo manducent, ut vivant; ideo se putant vivere ut manducent. Istos omnis sapiens reprehendit, & maxime Divina Scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est. Illos ad mensam non ducit nisi concupiscentia carnis, non indulgentia refectionis. Itaque isti candunt in escam, & potum. Illi autem, qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt, ut comedant, sed ideo comedunt, ut vivant: Itaque istis prudentibus, & temperantibus si offeratur, ut sine cibo, & potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quo cadere non consueverunt, nec descendere cogerentur; sed semper suspenderentur in Domino, nec deponeret eorum intentiones necessitas fulciendarum corporis ruinarum? Quomodo putatis Eliam Sanctum accepisse, quando accepit calicem aquæ, & collyridam panis, ut ei esset in alimentum quadraginta dierum? Cum magna itaque lætitia, quia propter officium vitæ, non propter servitutem concupiscentiæ, manducabat & bibebat. Tenta hoc præstare, si posses, homini, qui beatitudinem totam collocat in epulis, tamquam pecus in præsepi, constituit. Odit beneficium tuum, repellit a se, pœnam putat. Sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines uxores non propter aliud quærunt: & ideo vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt. Atque utinam si auferre non possunt, aut nunc libidinem, non ultra eam progredi sinant, quam præscribit debitum uxorium, etiam quod infirmitati conceditur. Sed nunc tali homini si diceret, Quare ducis uxorem? responderet tibi fortasse verecundatus, Propter filios. Si quis ei diceret, cui sine ulla dubitatione crederet: Potens est dare tibi, & omnino dabit tibi Deus filios, etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certe concluderetur, atque fateretur, quod non propter filios quærebat uxorem. Confitentur ergo infirmitatem.* Lege, & cap. 8. Lib. *De Nuptiis, & Concupiscentia*, & cap. 18. Lib. 3. *De Doctrina Christiana.*

Illud S. *Hieronymi* in cap. 5. Ep. ad Ephesios non omittam: *Liberorum in Matrimonio opera concessa sunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ.*

De usu Matrimonii.

Eamdem Regulam pluribus in locis confirmat *S. Gregorius Magnus*, sed maxime 3. P. *Pastoralis Curæ*, Admonitione 28. *Admonendi sunt, conjunctos* (inquit) *ut suscipiendæ prolis se meminerint caussa conjuges; & cum immoderate admixtioni servientes, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant; quod, licet extra non exeant, in ipso tamen conjugii jura transcendunt. Unde necesse est, ut crebris exorationibus deleant, quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant.* Hinc Apostolus: *Dum in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur, adjunxit:* Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. *CULPA quippe esse innuitur, quod indulgeri prohibetur: sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur; sed hoc quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Quod bene Lot in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit: sed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero montium est munditia continentium. Vel certe quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam, nulla carnis voluptate solvuntur. In monte quippe stare quid est, nisi fructum propaginis in carne non quærere? In monte stare, est carni non carnaliter adhærere. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi, usus solummodo debiti jura conservant: Exiit quidem Lot Sodomam, sed tamen mox ad montana non pervenit: quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet infirmum: quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur: quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura.*

Eamdem Regulam confirmat *Jonas* Aurelianensis Episcopus, Lib. 2. *De Institutione Laicali*, c. 6. cujus hic titulus est: *Quod cum uxoribus carnis commixtio, gratia fieri debeat prolis, non voluptatis: Qui autem* (inquit) *thori conjugalis pudicitiam hujuscemodi incontinentiæ nævis fuscaverint; id necesse est, quotidianis Eleemosynarum largitionibus, jugibus precibus, pœnitentiæ Lacrymis; & ceteris bonis operibus diluere satagant.*

Idem docet S. *Thomas* in 4. *Senten.* dist. 31. quæst. 2. ar. 2. *Quando, inquit, conjuges conveniunt caussa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excusantur a peccato:* Et infra: *Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet caussa prolis procreandæ, & debiti reddendi, alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.*

REGULA III.

Conjugalis concubitus vitandæ solum fornicationis caussa non immunis est a peccato veniali.

Ita docet *S. Thomas* loco mox indicato, in Responsione ad secundum. *Si aliquis*, inquit, *per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio, quæ ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est Matrimonium institutum nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Aliis nempe modis convenientioribus, scilicet per orationem, jejunia aliaque pia opera vitare quis fornicationem, & continentiam a Deo impetrare potest. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non potest, cum aliena voluntas non sit in nostra potestate.

REGULA IV.

Opus conjugale, sanitatis dumtaxat caussa, veniale peccatum est.

Non enim ob sanitatem, sed ob liberorum procreationem Matrimonium institutum est. Unde *S. Thomas* in responsione ad quartum: *Quamvis*, inquit, *intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quæreret. Et similiter est in proposito de actu Matrimoniali.* De usu Matrimonii.

R E-

REGULA V.

Opus conjugale culpa non caret, si partim generationis caussa partim ob voluptatem fiat.

Sola enim liberorum procreandorum causa, vel debiti reddendi, hoc opus a peccato excusat, secundum illam Tobiæ Junioris sententiam: *Et nunc, Domine, Tu scis quia non luxuriæ caussa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur Nomen tuum in sæcula sæculorum.* Hinc S. Thomas art. 3. quæst. citatæ: *Si quæratur*, inquit, *delectatio infra limites Matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum.*

REGULA VI.

Opus conjugale ita frequenter, & intempestive exercere, ut impediat tempora orationi debita, gravius quidem peccatum est, quam si aliis temporibus ob solam delectationem carnalem debitum exigeretur: Non tamen est mortale peccatum.

Prima pars ex illa S. Pauli Sententia colligitur, 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* Quam S. Augustinus, sic interpretatur Lib. *De Bono Conjugali*, c. 10. *Illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola caussa procreandi, & aliquando nulla caussa procreandi; quem Nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi*, &c. Quibus verbis significatur quidem gravius esse peccatum, nec ita facile excusari concubitum conjugum, adeo nimium, ut impediat tempora, quæ orationi debentur, quam si quolibet alio tempore, solius etiam voluptatis caussa, huic operi vacarent: Sed tamen ad malitiam peccati mortalis pertingere propter hanc sacri temporis circumstantiam; diserte non asserit S. Augustinus. Severiore igitur Estii opinione relicta, partem utramque Regulæ Moralis, in qua versamur, S. Thomæ testimonio fulcimus in 4. *Sententiarum*, dist. 32. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 1. *Actus*, inquit, *Matrimonialis quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus, in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum... Quamvis enim quis non teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur tota die se conservare idoneum ad orandum.*

Secundam Regulæ nostræ partem disertis verbis confirmat quæstiunc. 2. *Petere debitum in die festivo*, inquit, *non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde potest in infinitum aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festivo debitum petat. Sed tamen gravius est peccatum, si sola delectationis caussa petatur, quam si propter timorem quo quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.* Narrat S. Gregorius Lib. 1. *Dialogorum* cap. 10. Mulierem quamdam, quæ *Voluptate devicta*, commixta viro fuerat nocte præcedente, publicæ Supplicationi ad Oratorii S. Sebastiani Dedicationem adfuisse, quia *Processionem verecundia imperavit*: ob idque a Diabolo fuisse arreptam. Sed respondet S. Thomas, non fuisse punitam mulierem illam propter hoc, quod debitum reddidit; *Sed quia postmodum se temere ad Divina ingessit contra conscientiam.* Judæis quidem Legem accepturis præcepit Deus, ut ab uxoribus abstinerent, *Exodi* 19. Sed inde non potest probari, *Quod sit peccatum mortale* conjugale opus exercere temporibus sacris; *sed quod sit incongruum. Multa enim munditias carnis pertinentia exigebantur de necessitate præcepti in Veteri Lege, quæ carnalibus dabatur, quæ non exiguntur in Nova lege, quæ est lex Spiritus*; (inquit S. Thomas.)

De usu Matrimonii.

Quam autem incongruum sit uxori copulari sacris diebus, quibus orationi præcipue vacandum est, confirmatur ex Canone *Proposuisti*, Dist. 82. desumpto ex *Innocentii I.* Epist. ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum.... *Sic Beatus Paulus ad Corinthios scribit:* Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: *& hoc utique Laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Idipsum varii Canones confirmant Caussa 33. quæst. 4. scilicet Canon *Sciatis*, S. Hieronymo adscriptus: *Si panes*, inquit, *propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi, quanto magis Panis ille, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paullo ante hæsere complexibus, violari, atque contingi? Non quod Nuptias condemnemus; sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.*

Canon, *Quotiescumque*, S. Augustino tributus: *Quotiescumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ Festivitates adveniunt, ante plures dies non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete.*

Canon, *Fratres*, sub S. Ambrosii nomine citatus: *Nullus omnino uxori suæ Jejuniorum diebus conjungatur.*

Canon, *Si caussa*, ex Commentario in Epist. S. Pauli ad Corinthios sub S. Ambrosii nomine edito: *Si caussa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum: Quia & dies Festi, & dies Processionis, & ipsa ratio conceptus, & partus, juxta Legem cessari temporibus his debere demonstrant.*

Verum Ambrosius Epist. 63. ad Vercellensem Ecclesiam, Editionis novissimæ Parisiensis: *Paulus etiam in ipsis conjugiis temperantiam docet; est enim velut quidam adulter incontinens in Matrimonio, qui Legem Apostolicam prævaricatur.* Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, cap. 63. *Si Dominico die*, inquit, *ab opere mundano cessandum est, quanto potius a voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cavendum? Præsertim cum Dominici diei nomen, quod nihil eodem die, præter quæ Domini sunt, Christianus agere debeat, liquido manifestet. Porro idipsum est de nocturno ipsius diei, quod de diurno tempore sentiendum. Unus est enim dies.* Quadragesimæ tempore ab uxoribus abstinendum, cap. quinquagesimo idem Pontifex docet.

Concilii denique Tridentini Catechismus part. 2. *De Matrimonii Sacramento*, Num. 38. *Sed quoniam*, inquit, *bona omnia sanctis precationibus a Deo impetranda sunt, Fideles docere oportet, Deum orandi, & obsecrandi caussa Matrimonii officio interdum abstineant: in primisque id sibi observandum sciant tribus saltem diebus, antequam Sacram Eucharistiam percipiant, sæpius vero cum sollemnia Quadragesimæ Jejunia celebrantur, quemadmodum Patres nostri recte, & sancte præceperunt. Ita enim fiet, ut ipsa Matrimonii bona majori in dies divinæ gratiæ cumulo augeri sentiant.*

REGULA VII.

Letalis peccati reus est, qui conjuge ita intemperanter utitur, ut intra conjugalem affectum non se contineat, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eadem, quamvis conjux non esset, libidinem suam explere, atque omnino voluptatem illam sic amans, ut eam Dei timori anteponat.

De usu Matrimonii.

De his enim *Tobiæ* 6. dicitur: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Et Dominus in Evangelium: *Qui amat uxorem suam plusquam me, non est me dignus.*

Idem confirmat S. Hieronymus, Lib. 1. *adversus Jovinianum*, versus finem. *Refert Seneca* (inquit) *cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat; potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir, & uxor hauriebant; alia deinceps non minus inepta facientes, in qua improvida vis ardentis affectus erumpebat: Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quam ex honesta caussa quis insaniat. Unde & Xistus in Sententiis;* Adulter est (inquit) in suam uxorem amator ardentior, *In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram.*

De usu Matrimonii.

Idem confirmat S. *Ambros.* Epist. 63. ad Vercellensem Ecclesiam: *Est enim* (inquit) *velut quidam adulter incontinens in Matrimonio, qui legem Apostolicam prævaricatur.*

Idem docet S. Thomas, in 4. *Sententiarum*, dist. 31. qu. 2. art. 3. *Si* (inquit) *delectatio quæratur extra honestatem Matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat, quod conjux est, sed solum, quod mulier est, idem paratus facere cum ea, ac si non esset conjux, est peccatum mortale, & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona Matrimonii fertur:* Et in Responsione ad primum: *Tunc voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit quam quod in meretrice attenderet.*

REGULA VIII.*

Congressus cum uxore gravida peccatum est, & mortale quidem, si periculum sit perdendi fœtum, tametsi nondum animatum. Alias vero veniale.

Quicumque enim se letalis peccati periculo exponit, letaliter peccat. Hinc S. Clemens Alexandrinus Lib. 2. *Pædagogi*, cap. 10. *Moyses* (inquit) *nullum nunquam veterum Hebræorum inducit coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio; est præter leges, & injusta, & a ratione aliena. Rursus autem Moyses abducit viros a prægnantibus, quousque pepererint.... Matrix itaque sitiens filiorum procreationem, semen suscipit, probrosumque, & vituperandum negat coitum, post sationem ore clauso omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis versabantur complexibus, intro conversæ, in procreatione sobolis occupatæ, operantur una cum Opifice. Nefas est ergo operantem jam naturam adhuc molestia afficere, superflue ad petulantiam prorumpendo libidinem.*

Idem docet S. *Amb.* Lib. 1. in Lucam. *Pecudo quoque* (in-

(inquit) *mutuo quodam opere loquuntur generandi sibi studium, non desiderium esse coeundi. Siquidem ubi semel gravem alvum sibi senserint, & genitali arvo semen receptum jam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis adsumunt. At vero homines nec conceptis nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exasperant. Prius quam te* (inquit) *formarem in utero, novi te* &c. *Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quasdam tui Auctoris in utero hominem formantis adverte. Ille operatur, & tu sacri uteri secretum incestas libidine? Vel pecudem imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa a generandi opere sæpe requiescit: & si impatienti hominum studio jactis frequenter seminibus occupetur, impatientiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem sterilitate commutat.*

Idem docet S. *Hieronymus* Lib. 1. adversum Jovinianum: *Certe* (inquit) *qui dicunt se caussa Reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos.* Et in cap. 5. Epist. ad Ephesios: *Omnis vir, & uxor intelligant, sibi post conceptum magis orationi, quam connubio serviendum: & quod in animalibus, & bestiis ipso naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant in arbitrio derelictum: ut merces esset ea abstinentia voluptatum.*

Idem S. *August.* Lib. *De Bono conjugali*, cap. 6. *Sunt viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quicquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumque gerunt, vitium est hominum, non culpa Nuptiarum.*

Jonas Aurelianensis Episcopus Lib. 2. *De Institutione Laicali*, cap. 7. *Si caussa prolis* (inquit) *uxor ducitur, & commixtio maris, & fœminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri, postquam fructum oriundæ prolis tumefactus uxoris uterus indicaverit, quid coitus cum uxore, jam nisi actum libidinis demonstrat? Nonne ab hujuscemodi coitu abstinere nolenti, quodammodo dicit Dominus: Si caussa liberorum uxorem duxisti, jam me operante adeptus es, quod voluisti; ut quod operi meo morbidæ libidinis quicquam superaddere præsumpsisti?* Et infra: *Liquido igitur patet, quoniam sicut clarissimorum Doctorum dicta sanciunt, & antiqui conjugati Patres in exemplum sunt, prorsus coitu uxorum prægnantium sit abstinendum.*

Idem confirmatur ex Romano Pœnitentiali Tit. 7. cap. 9. & 10. & ex Pœnitentiali *Bedæ*, cap. 2. & 10.

Idem confirmat S. *Th.* in 4. *Sentent.* dist 31. in expositione Textus. *Ex hoc* (inquit) *imminet periculum abortus. Et ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam: non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.*

REGULA IX.

Illicita est petitio conjugalis debiti tempore infirmitatis menstruæ, non tamen ita certum est, an reddere sit illicitum, si conjux alter pertinaciter petat, & periculum peccati gravioris illi ex repulsa timeatur.

De usu Matrimonii.

Prior pars Regulæ nititur verbis illis *Levitici*, cap. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio Populi sui.* Quod præceptum figurate accipiendum S. *Aug.* negat Lib. 3. *Quæstionum in Leviticum*, c. 64. Quia *Hic positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore Novi Testamenti, remota umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt; Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem significasse, qui inter illa peccata, quæ non figurata, sed manifesta iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter justitia merita si non accedat. Quia in re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium prohibetur.*

Idem confirmat S. *Hieronymus*, in cap. 18. Ezechielis. *Per singulos menses* (inquit) *gravia, atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione revelantur: quo tempore si vir cum muliere coierit, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi, & elephantiaci ex hac conceptione nascantur. Præcipitur ergo viris, ut non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem & Apostolus, & Ecclesiastes sonant:* Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. *Caveat ergo & uxor, ne forte victa desiderio coeundi, illiciat virum: & maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem.*

Jonas Aurelianensis Lib. 2. *De Institutione Laicali*, cap. 10. *Cum Apostolus dicat*, Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: *& Lex spiritualis sit, & spiritualiter intelligi debeat in hoc loco, sicut præmissa Sanctorum Patrum documenta declarant, & superficies litteræ demonstrat, salvo spiritali intellectu, viris omnino ab uxoribus menstruum patientibus est abstinendum.* Idem docet Haymo Halberstatensis Episcopus in cap. 64. *Isaiæ*.

S. Th. in 4. *Sententiar.* dist. 32. qu. 1. art. 2. Quæstiunc. 2. priorem Regulæ hujusce Moralis partem confirmat. *Accedere* (inquit) *ad menstruatam, in Lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam; tum propter nocumentum, quod in prole ex hujusmodi commistione frequenter sequebatur; & quoad primum, præceptum erat cærimoniale; sed quantum ad secundum, erat morale: quia cum Matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis Matrimonii usus, quo bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in Nova Lege propter secundam rationem, etsi non propter primam.* Et infra, *Quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere; & iterum talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus: unde prohibitum est ad talem accedere; & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.*

In Pœnitentiali *Venerabilis Bedæ*, cap. 2. *De Fornicatione*, triginta dierum Pœnitentia illi imponitur, qui ad uxorem tempore menstrui fluxus accesserit.

Regulæ partem alteram adstruit *S. Th.* Quæst. 3. *Dixerunt quidam* (inquit) *quod mulier menstruata sicut non debet petere debitum, ita nec reddere: sicut enim non teneretur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere, ad vitandum periculum prolis: quia si mulier infirmatur, certissimum est, quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quæ forte nulla sequetur. Et ideo alii dicunt, quod mulieri menstruatæ nunquam licet petere debitum; si tamen vir ejus petat, aut petit scienter, aut ignoranter: si petit scienter, tunc debet eum avertere precibus, & monitis: tamen non ita efficaciter, ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas incidendi, si ad id pronus credatur. Si autem petit ignoranter, tunc mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur: tamen finaliter si vir non desistit a petitione, debet debitum reddere poscenti.* Nec propterea mulier consentire peccato viri censenda est, *Nisi voluntarie debitum reddat: quando enim est involuntaria, magis patitur quam consentiat.* Redditionem, non minus quam exactionem debiti tempore infirmitatis menstruæ peccatum esse mortale nihilominus sentiunt *Scotus*, *Richardus a Media villa*, *Lyranus* in c. 15. Levitici, Glossa capitis *Ad ejus*, dist. 5. *Petrus Soto* Lect. 16. De Matrimonio, *Estius* in 4. Sententiarum, d. 32. §. 9. *Hesselius* 2. p. Catechismi, cap. 135. At veniale dumtaxat peccatum in reddente debitum agnoscunt S. *Bonaventura*, & *Sylvester Prieras*. Alii denique tam exigentem, quam reddentem venialis tantum peccati reos esse censent, scilicet *Petrus a Palude*, dist. 32. qu. 1. *Cajetanus* in Summa, verbo, Matrimonium, *Franciscus a Victoria*, *Dominicus Soto*, *Navarrus* Enchiridii c. 16. *Alfonsus a Castro* Lib. *De Potestate Legis Pœnalis*, cap. ultimo: In eamque opinionem inclinare videtur *S. Th.* loco mox laudato, & eam propugnat *S. Antoninus* 3. p. tit. 1. c. 20.

REGULA X.

Usus Matrimonii tempore puerperii illicitus est.

Tunc enim mulier minus apta est ad concipiendam prolem, & si concipiat, in pessimo statu nascetur, propter immunditiam matris, naturæque debilitatem. Unde *S. Gregorius* Lib. 12. Epist. 31. respondens interrogationi 10. *Augustini* Anglorum Episcopi: *Ad ejus* (inquit) *concubitum vir ejus accedere non debet, quousque, qui gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola caussa incontinentiæ videtur inventum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri; quippe quia, & sine partus caussa, cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte Lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat.* S. Gregorii verba refert *Gratianus* in Decreto dist. 5. Can. *Ad ejus*, ubi tamen Glossa recte admonet tempus ablactationis hic a *S. Gregorio* intelligi tempus post partum, quo mulier minus abundat lacte.

REGULA XI.

Ad conjugale debitum sibi mutuo reddendum conjuges obligantur.

Ita docet Apostolus 1. ad Corinthios 7. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* De usu Matrimonii.

Idem confirmat *S. August.* Lib. *De Bono Conjugali*, c. 6. *Debent sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum caussa, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem.* Idem docent *S. Fulgentius*, Ep. 1. hoc argumentum tractans, & *S. Th.* in 4. *Sententiar.* dist. 30. qu. 1. art. 3. *Sicut* (inquit) *tenetur vir*

uxo-